



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

II. Non oportet praeter sententiam pontificis Romani Concilia celebrare, vel episcopos damnare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

5. quæst. 4.
Nullus epi-
scopus.

statuerunt Synodo, vt nullus episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore apostolica auctoritate conuocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est, iudicetur vel damnetur. Sin aliter præsumptum a quibusdam fuerit, in vanum deducatur quod egerint, nec inter ecclesiastica vlllo modo reputabitur.

I.

Primates
ecclesiæ
Romanæ a
Christo.

Math. 16.

Ipsi vero primæ sedis ecclesiæ conuocandarum generalium Synodorum iura & iudicia episcoporum singulari priuilegio euangelicis & apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis, quia semper maiores causæ ad sedem apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt. Nec vlllo modo potest maior a minore iudicari. Ipsa namque omnibus maior & prælata est ecclesiis, quæ non solummodo Canonum & sanctorum patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce singularem obtinuit principatum. *Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & reliqua. Et quæcumque ligaueris super terram & solueris, erunt ligata & soluta in caelo & in terra.*

II.

3. q. 6. Du-
dum a san-
ctis.
In decretali
epistola E-
leutherii
papæ, ac
Victoris.

In 2. decret. A-
nacleti pa-
pæ, & in
1. decret. A-
lexandri
papæ.

Habetur
infra in de-
cr. Iulii
papæ, ad
orientales
episcopos
pro Atha-
nasio.

Porro dudum a sanctis apostolis successoribusque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hætenus sancta & vniuersalis apostolica tenet ecclesia, non oportere præter sententiam Romani pontificis Concilia celebrari, nec episcopum damnari, quoniam sanctam Romanam ecclesiam * primatem omnium ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut B. Petrus apostolus primus fuit omnium apostolorum, ita & hæc ecclesia ipsius nomine consecrata, Domino instituyente, prima & caput sit ceterarum, & ad eam, quasi ad matrem atque apicem, omnes maiores ecclesiæ causæ, & iudicia episcoporum recurrant, * eiusque iusta sententia terminum sumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni pontificem, quatenus non ita proterue, & pro libitu cuiuspiam, suo proprio arbitrio, quibusque metropolitanis, sicut agere solebant, liceat, incognito Romano pontifice, aut maiores ecclesiæ causas deturbare, aut episcopos damnare, sed communi sanctæ Romanæ sedis episcopi consilio & concordia actione quæque sunt Christi zelo agenda disponant vnanimiter, recteque sentiant, & ea quæ fenserint, non sibimet discrepando, sed Deo placita perficiat.

* prima-
tiam

* & iuxta
eius sen-
tentiam